BAPTISMVM
PER
ARENAM

AD NICEPH. H. E. LIB. 3. C. 37.
D. O. M. A.
PRAESIDE

JO. ANDR. SCHMIDIO

ABBATE MARIAEVALLENSI
S. S. THEOL. D. EIVSD. ET ANTIQ. SACR. P. P. O.
ORDINIS SVI SENIORE

DILVET
ATQVE EVNDEM
PVBLICO COMMILITONVM EXAMINI
SVBMITTET
IN IVLEO MAJORI
A. & R.

MARTIN. ERNESTVS BANDAV

CLETZENA-LVNEBVRGICVS
D. XX. MAJI

HELMSTADII
RECVS. APVD SEBASTIANVM BVCHOLTZIVM
MDCCXXVII.





Dhuc M. Aurelio Antonino imperium ad-
miniſtrante, quod tum accidit, non
prætereundum eſt ſilentio. Judæus“
enim quidam in ſolis aridisque locis“
iter faciens, communiter cum viatoribus chriſtia-“
nis pſalmos canebat. Quum vero morbo repenti-“
no ita affligeretur, ut crederetur moriturus, atque“
ibi in locis illis permanſurus eſſe, magna conten-“
tione viatoribus ſuis obſecrando inſtitit, ne eum“
ita præſidio omni deſtitutum relinquerent, ſed ut“
divini lavacri participem facerent, ac deinde abi-“
rent. Ut autem illi, neque qui præſtare hoc poſ-“
ſet, (ſacerdote enim opus erat) neque aquæ copi-“
am adeſſe, quæ in baptismo perficiendo & conſue-“
tudine antiqua & lege certa & inviolata requireren-“
tur, cauſati ſunt, & propterea in tantarum rerum“
penuria petitioni ejus non annuerent: Judæus“
porro in ſententia ſua permanſit, & jurejurando“
eos, ut ſibi ſatisfacerent, adegit. Illi itaque de-“
tractis homini veſtibus, arena quæ ibi erat, pro“

„aqua usi, in nomine patris & filii & spiritus S. tertium arena in eum conjecta, baptizarunt. Per „hanc tam insolitam & admirandam sacrorum my„steriorum initiationem, imbecillitate omni, tan„quam vinculo quodam, is solutus, longe melius „quam illi validus jam prorsus iter fecit. Post„quam autem domum sunt reversi, rem eam ad „Dionysium Alexandriæ episcopum retulerunt. „Ille vero admiratione stupens, ecclesiam de ea con„suluit. Cui visum est, aqua insuper ad eum initia„tum, juxta ecclesiæ traditionem abluendum esse: „ut ita, quod sacro ei deesset, sarciretur. Casum hunc de baptismo per arenam refert Nicephorus Callistus in historia ecclesiastica libro tertio capite septimo ultra trigesimum.

Nicephorus Callistus, Callisti Xanthopuli filius, seculo XIV. clarus, XXIII. libros historiæ ecclesiasticæ græce scripsit, quorum tamen hodie non nisi XVIII. priores extant, qui a nato Christo usque ad Phocæ Imp. interitum progrediuntur. Quod unicum duntaxat exemplar credatur superfuisse ex bibliotheca Budensi Cpolim & inde per varios casus in Cæsaream delatum, a Joanne Langio ad mandatum Imperatoris in latinam linguam translatum, ex ipsius Langii præfatione ad Ferdinandum Cæsarem passim autores memorant. Id vero tacere non possumus, quod fabulis putidissimis & quisquiliis ubique fere intertextis historiam vitiaverit. (a) Unde Theodorus Beza in notis ad evangelium

(a) Cave H. L. app. p. m. 29. seq.

gelium Lucæ, hiſtoriam ejus, *magnum nugarum volumen*, & ad Actorum caput primum ipſum auctorem *ineptum ac ridiculum hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptorem*, Lambertus Danæus ad Auguſtinum de hæreſibus magnum aliorum ſcriptorum compilatorem & ῥαψῳδὸν vocant. Iſaaco Caſaubono (a) audit *auctor, vaniſſimus, futiliſſimus, fabuloſiſſimus, nec συγγραφεύς. Sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸς; cui ipſe Baronius, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat.* Et alibi (b) ſcribit: *Nicephorum hunc fabuloſiſſimum eſſe ſcriptorem, & judicii in literis nullius, ſatis notum eſt eruditis, & nos ſupra monebamus. Quare equidem quicquid apud illum legitur, niſi alia accedat auctoritas, non pluris facio, quam folia farfari.* Quos idem errores illius hiſtorici notet circa miraculum in Cana factum, (c) nunc non tangimus. De hæreſi Agnoetarum eundem *contra omnium veterum ſcriptorum relationes, quodam illius ſeculi crepuſculo occoecatum, vel proprio errore abreptum, quædam narraſſe, veteribus ipſique Nicephoro repugnantia*, oſtendit Jo. Forbeſius, (d) qui eum in hiſtoria de Abgaro maniſeſte falſarium deprehendit. (e) Nec Jo. Bapt. Cote-

(a) Exercit. 1. ad Anal. Baron. ſect. XII. p. 84. add. exercit. XVI. ſect. X. p. 405.
(b) Exerc. 1. ſect. XVII. p. 95.
(c) Exercit. XIII. ſect. XX. p. 245.
(d) Inſtruct. hiſtor. theolog. lib. 3. cap. 19. §. 29. p. m. 125.
(e) Ib. lib. 7. cap. 8. §. 3. & 6. p. 342. ſeq.

Cotelerius S. I. (a) sine nota dimittere potuit Callistum, errorem observans crassum atque immanem, quasi Origenes scripserit adversus Marcellum & Porphyrium. Andream Hyperium, (b) virum in his quoque dijudicandis peritum, audire lubet, sequentia differentem: *Nemo autem plura hujus generis corrasit, quam Nicephorus Callistus, homo nimirum juvenis. Fatetur namque se exorsum historiam ætate juvenili: eandemque, quum nondum esset annum tricesimum sextum egressus, absolvisse. Præterea vitæ genus amplexatus negotiorum & graviorum actionum prorsus expers, monachus videlicet, atque ex suæ sortis hominibus haud dubie pleraque, quæ in lucubrationes suas retulit, edoctus. Interea autem dum de se ipso prædicat, plurima esse a se congesta, quæ alii ante ipsum scriptores prætererant, equidem vereor, ne qua parte aucupator egregiam laudem diligentiæ, priusquam hanc adipiscatur, in crimen incurrat imprudentiæ aut levitatis. Quæ namque & senes & episcopi, Eusebius inquam, Theodoretus & similes, a quibus & solis describi historias ecclesiasticas conveniebat, consilio adhibito & sapientia singulari abjecerant, ceu ad ecclesias instituendas inutilia, aut plane incerta confictaque, arbitratus est Nicephorus juvenis & monachus facturum sese operæ preti-*

(a) Tom. III. monument. græc. eccles. in not. p. 630. confer. p. 635. ubi eum contra judicium, juxta tamen morem, Sozomenum exscripsisse dicit.

(b) De ratione studii theologici lib. 4. cap. 2. observat. XI. p. 584.

pretium, si illa suis infarciret collectaneis. Cui adhuc subjungemus Joachimi Camerarii (a) judicium: *Sunt istæ potius nugæ indignæ christiana disciplina. Cujusmodi verbosa levitate complures narrantur a quodam Nizephoro Callisto, autore sane futili, qui undecunque acceptas fabulas a pura doctrina ecclesiastica abhorrentes intexuit narrationibus historiæ suæ.* Eadem in eo cognoscit Gerh. Jo. Vossius, (b) qui tamen ætati, qua vixit, quædam tribuenda esse judicat: *Videlicet propter fabellas complures & errores non exiguos, quos in eo etiam Baronius, Possevinus atque alii observarunt. Sed ætatem cogitemus qua vixit. Pro qua, dictione usus non invenusta. Ordine non incommodo priorum historiam digessit.* Labbeus (c) autem majori supercilio Casauboni temeritatem (ut ait) damnans, illius *pannis purpuram aliquando intextam ex auctoribus, qui periere,* existimat, *prudentisque* censet *lectoris, pretiosum separare a vili, & gemmas e sterquilinio colligere.*

Talis ergo cum Nicephorus habeatur fere ab omnibus, cujuscunque etiam professionis hominibus, dubium forte alicui suboriri poterit, an historia supra recensita ex eo fidem aliquam mereatur, vel

(a) In cap. XI. Johannis p. 267. addatur Jo. Pappus in epit. H. E. p. m. 51. B. Sagittarius introd. in H. E. cap. 7. p. 38. seqq. B. Calixtus conc. Evangel. p. 3. & 58.
(b) De histor. græc. lib. 2. cap. 29. p. m. 308.
(c) Diss. hist. script. eccles. quos attigit Bellarminus tom. 2. pag. 102.

vel an potius ad reliquas referenda sit fabellas, cum forte alia non videatur accedere autoritas? Sed adhuc alium nominare possumus, seculi undecimi scriptorem Georgium sc. Cedrenum, in compendio historiarum (a) idem factum narrantem: M. An-„tonini imperio, quidam Ebræus per solitudinem „iter cum christianis faciens, cum in gravem mor-„bum delapso jam vitæ discrimen impenderet, chri-„stianos per Dei nomen obtestatus est uti se baptiza-„rent. Cum vero neque aqua ad manum esset, ne-„que sacerdos christianis, vestibus hominem nuda-„runt, & ipsorum quidam manibus arenam hau-„stam tertium ejus capiti infudit, tertium dicens: „Baptizatur Theodorus in nomen Patris, & Filii & „Spiritus S. Atque ille Ebræus simul atque ita ba-„ptizatus est, confestim morbo suo prorsus est libe-„ratus. Postquam Alexandriam pervenerunt, res „ea Dionysio Papæ ad dijudicandum exposita est, is „hominem denuo aqua baptizari jussit: atque eum „qui arena illum baptizaverat, diaconum, ut eo „munere dignum, delegit. Neque hoc injuria. „Magnus enim Gregorius baptismorum genera sic „enumerat: *Baptizavit Moses aqua, atque ante* „*nube & mari. Baptizavit & Joannes, non jam* „*Judaico more, neque sola aqua, verum ad resipiscen-*„*tiam. Baptizat & Jesus, sed spiritu: ea est per-*„*fectio. Novi & quartum baptismum, qui fit, cum* „*ob veritatis confessionem sanguis funditur. Novi* „*& quintum, per lacrymas.* Ergo quia nihil horum

(a) p. m. 206. edit. a Guil. Xylandro curatæ.

rum fuit, juſte non eſt receptus. Si de autoritate Cedreni a nobis quædam deſideret lector, ei Xylander in præfatione reſpondet, *neque optimo ordine ea præponit, quæ in ſacris literis, & Flavii Joſephi antiquitatis Judaicæ deſcriptione, atque alibi copioſe deſcribuntur: & inſerit multa, neſcio quam relatu aut creditu digna: & interpolatis narrationibus ſæpe, ſæpe mutilatis, aliquando idem non ſine tædio & odio inculcat.* Poſt pauca interjecta nihilominus addit *plurima eſſe in Cedreni hoc opere, quæ cum alibi non inveniantur, maximam ei apud omnes veritatis & hiſtoriæ autores conciliare posſint debeantque gratiam. In Juſtiniano præſertim magno, in Heraclio, & aliis deinceps Conſtantinopolitanis Imperatoribus, multo eſt, quam ipſe Zonaras fuerit, diligentius ac copioſius verſatus deſcribendis, annis etiam ſingulis res geſtas dividens. Nam quæ ante novæ Romæ ortum habet, ea videtur utcunque ex variis libris non magna cura ac judicio perexiguo conſarcinaſſe.* Scaligero, ſub initium notarum ad Euſebii chronicon, *idiota eſt, ejusque totum opus ſtabulum quisquiliarum, & cento ex multis pannis, ſordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris conſutus.* (a) Talis ergo cum & Cedrenus ſit, nec ab eo caſui noſtro aliquam conciliabimus autoritatem, niſi antiquiores producere poterimus autores.

Ponamus tamen alium fide dignum autorem adduci non poſſe, qui factum illud referat. An non quotidie talia fieri ſolent, quæ, niſi oculis noſtris

(a) Conf. Guil. Cave H. L. p. m. 612.

usurpassemus, ex aliorum relatione valde dubia nobis essent. Quæ non fuere in veterum scholis sententiæ, de quibus certe hodienum dubitaremus, nisi posterior ætas nostris quoque temporibus easdem reduxisset? Quæ non absurda veterum hæreticorum dogmata a patribus aliisque scriptoribus ecclesiasticis notata novimus, quæ multis scrupulum movere possent, an unquam ita fuerint ab hominibus sanæ mentis proposita, nisi eadem videremus in doctoribus quarundam sectarum suas pati revolutiones? Quæ igitur circa scienda & credenda posse accidere, imo revera accidisse observamus, cur non similia circa agenda contingere posse, imo reapse contigisse credamus? Cogitemus modo illum, qui baptismum per arenam postulavit, hominem Judæum, rerum nostrarum, mysteriorum maxime, ignarum. Reliquos viatores si cogitamus, erant illi quidem christiani, sed de necessitate baptismi nondum satis informati, atque hinc Judæi dubiis ac precibus occurrere nescientes. Hoc rerum statu facile fieri potuit, quod factum fuisse supra retulimus. Fingamus ergo saltem talem casum apud illos, qui omnia antiqua in dubium vocare solent, ne diutius a præsentis casus examine retrahamur. Quamvis autem plura sub incudem revocanda essent, sequentia tamen præcipue nostram merentur considerationem: 1. an tanta sit baptismi necessitas, ut nemo eo, in casu necessitatis, sine salutis periculo carere possit? 2. an non liceat tali in casu, absente ecclesiæ ministro, laicis quoque baptismum administrare? 3. an alia, præter aquam naturalem, licite ad-

mula

hibeatur materia, e. gr. arena, illa deficiente? 4. an si spurio illi baptismo, per arenam & solenni formula peracto, superaddatur saltim immersio in aquam vel aquæ aspersio, legitimus dein fiat baptismus? & an Judæus potuerit dici rite baptizatus?

Primum ergo momentum quod concernit, *an tanta sit baptismi necessitas, ut nemo adultorum eo, in casu necessitatis, sine salutis periculo carere possit?* Agnoscimus necessarium esse baptismum necessitate præcepti, *euntes docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.* Matth. 28, 19. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* Marc. 16, 16. Nec aliud volunt verba Christi ad Nicodemum: *Amen, amen, dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei* Joh. 3, 5. quibus respondet quoque mandatum apostoli: *pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Act. 2, 38. Præter illam etiam non negamus necessitatem medii & in specie expedientiæ, dum per hujus sacramenti usum in adultis fides ex verbo jam concepta obsignatur & confirmatur; imo non duntaxat tunc, quando baptismus suscipitur, sed & postea per omnem vitam, fidelibus efficaciter prodest ad confirmationem fidei & renovationem ulteriorem. Eo tendit B. Chemnitius (a) sequentem in modum scribens: *Cum ex verbo Dei constet, Deum illa ad sublevandam infirmitatem nostram instituisse: atque divitias bonitatis suæ, ad procurandam salutem no-*

 stram

(a) In exam. C. T. part. 2, p. m. 17.

ſtram oſtenderet, inſtituiſſe ipſum talia organa ſeu inſtrumenta, in quibus virtute & operatione Spiritus S. fides noſtra quamvis langvida & infirma, gratiam apprehendere & obſignatam retinere poſſet ad ſalutem & vitam æternam. Neceſſaria igitur ſunt ſacramenta ratione infirmitatis fidei noſtræ, cui hujusmodi adminiculis opus eſt, & ratione inſtitutionis divinæ, quam Deus hoc conſilio & in hunc finem inſtituit, ut per ea credentibus exhibeat, applicet & obſignet beneficia mediatoris ad ſalutem: ea certe nec inutilia nec ſupervacanea, ſed neceſſaria ſunt. Neceſſitatem vero exigentiæ eamque abſolutam ſi quis urgeat, quaſi ſine baptismi uſu ſalus æterna obtineri nullo modo poſſit, eam admittere non poſſumus; cum Deus non ita huic medio ſit alligatus, ut absque eo non aliis modis ſalutem noſtram conſummare & perficere poſſit. Dari enim caſus poſſunt inevitabiles, quibus adultus deſiderium quidem habet baptismum ſuſcipiendi, & tamen illius actu particeps fieri nequit. Quid non in primitiva eccleſia illis contingebat, quando inter catechumenos ad percipienda fidei chriſtianæ capita aliquandiu ſtare illos oportebat? quo temporis tractu nonnunquam fiebat, ut vel in perſecutionibus ad necem abriperentur, vel alia fortuna obirent? baptismo nondum potiti. Et qui non alii poni poſſunt neceſſitatis caſus, in quibus uſum ſacramenti *non contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*, ut loquitur Auguſtinus. (a) Neque enim *defectus, ſed contemtus*

(a) Lib. 4. contra Donatiſt. cap. 22.

temtus sacramentorum damnat, docente Bernhardo. (a) Et si quis ex incuria & negligentia illa omittit, verendum omnino est, ne Deus illi subtrahat auxilia ad operandum, utpote scienti & habenti media opportuna & illorum usum negligenti; secus vero se habebit in eo, qui ex auditu verbi habet fidem veram, & si habere posset baptismum, ambabus illum amplecteretur manibus. *Sed si quis*, scribit Chemnitius l. c. *ex auditu habeat veram fidem in Christum: & non concedatur ipsi facultas, ut possit sacramentis juxta institutionem divinam uti: in tali certe casu non est statuenda praecisa necessitas sacramentorum ad salutem: ut propterea salus illis denegetur, quibus non datur facultas utendi sacramentis, licet in verbo fide apprehendant Christum mediatorem.* Qui in deserto nati fuerant, per annos 40. non erant circumcisi, propter continuas peregrinationis jactitationes, quæ facultatem circumcisionis accipiendæ non concedebant. Et tamen non est dubium, quosdam ex illis per 40. illos annos in deserto mortuos fuisse: quos nemo damnaverit, si Deo fide in promissionem de venturo Messia reconciliati fuerunt. Latronis in cruce exemplum aliquot in locis urget Augustinus contra Donatistas: (b) *Latronis exemplum etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere:*

(a) Ep. 77.
(b) lib. 4. cap. 22. seqq.

ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptismi, in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: nec quia credidit paſſus eſt; ſed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat, etiam ſine viſibili ſacramento baptismi (id quod ait Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confesſio fit ad ſalutem) in illo latrone declaratum eſt: ſed tunc impletur inviſibiliter cum myſterium baptismi non contemtus religionis, ſed articulus necesſitatis excludit. Cap. XVIII. *Latro ille non tamen omnino, ſine ſanctificatione baptismi, quæ corporaliter adhibetur, fuit: quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, ſed non accipiendæ necesſitas affuit.* Cap. XXIV. *In illo latrone quod ex baptismi ſacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas: quia non ſuperbia vel contemtu, ſed necesſitate defuerat.*

Veteres ergo eccleſiæ doctores eam foverunt ſententiam, quod votum & deſiderium ſumendi baptismi pro reipſa & baptismo habendum ſit. Id quod in exemplo Valentiniani Imperatoris perſpicue magis docet Ambroſius. Cum enim Imperator catechumenus adhuc deceſſiſſet, ita de eo ſentiebat & loquebatur: (a) *Quem regeneraturus eram, amiſi, veruntamen ille gratiam, quam popoſcit, non amiſit.* Sorores etiam Valentiniani, fratrem in iſto catechumeni ſtatu obiiſſe immoderatius ferentes, ita ſola-

(a) Oratione funebri de obitu Valentiniani.

ſolabatur : *Audivi vos dolere, quod non acceperit ſacramenta baptiſmatis. Dicite mihi; quid aliud in nobis eſt, niſi voluntas, niſi petitio? atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proxime baptizari ſe a me velle ſignificavit. Non habet ergo gratiam, quam deſideravit? non habet, quam popoſcit? & quia popoſcit, accepit: & ubi illud eſt: juſtus quacunque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit? Solve igitur pater ſancte munus ſervo tuo, quod Moſes dum in ſpiritu vidit, accepit, quod David, qui ex revelatione cognovit, emeruit. Solve inquam ſervo tuo Valentiniano munus quod concupivit, munus quod popoſcit ſanus, robuſtus, incolumis, ſi affectus ægritudine diſtuliſſet, tamen non penitus a tua miſericordia eſſet alienus, qui celeritate temporis eſſet, non voluntate fraudatus. Solve ergo ſervo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille nunquam non rogavit, qui ante diem mortis templorum privilegia negavit inſurgentibus, quos revereri poſſet. Aſtabat virorum caterva gentilium, ſupplicabat ſenatus, non metuebat hominibus diſplicere in Chriſto. Qui habuit ſpiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? aut ſi qua ſolenniter non ſunt celebrata myſteria, hoc movet? Ergo nec martyres, ſi catechumeni fuerint, coronantur? Non enim coronantur, ſi non initiantur. Quod ſi ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas.*

Cum igitur tanta non detur baptiſmi neceſſitas, ut nemo adultorum eo, in caſu neceſſitatis, ſine ſalutis periculo carere poſſit, id agere debuiſſent viatores

tores, ſi modo hujus rei cognitionem habuerint, ut Judæo monſtraretur, neque rationem diſciplinæ chriſtianæ permittere, neque rem ipſam exigere in tali caſu baptismum. Non illam, cum leges eccleſiaſticæ certum præſcribant tempus, quo prius quis informari debet in fundamentalibus fidei capitibus, antequam admittatur ad baptismum. Non hanc, cum iſto rerum ſtatu fides in Chriſtum, ex auditu concepta, omnia illa beneficia, quæ per baptismum alias conferuntur, certo exhibere valeat. Si vero excepiſſet Judæus inſtare nunc mortem, tempus amplius non ſupereſſe, ut catechumenorum ordini inſeratur, ſuccurrendum ſibi potius eſſe lavacro chriſtianorum, ne excluderetur regno cœlorum; tunc alterum fuiſſet urgendum, in illo neceſſitatis articulo ſufficere deſiderium baptismi, ſi ob defectum ſubſtantialis alicujus re ipſa is obtineri nequeat: contemtum damnare, non privationem: habere illum fidem, quæ verbum promiſſionis apprehendens, etiamſi articulo neceſſitatis a baptismo excluderetur, nihilominus certo ſtatuere poſſit, ſe accipere & posſidere Chriſtum, gratiam Dei & vitam æternam. Evangelium enim eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti Rom. 1, 16. & ſpirituale ſemen, ex quo renaſcimur 1. Petr. 1, 23.

Alterum momentum, quod conſiderandum nobis ſumſimus, eo redit: *an non liceat, abſente eccleſiæ miniſtro, in caſu extremæ necesſitatis, laicis quoque baptismum adminiſtrare?* Ordinarie, ad quos miniſterium verbi ſpectat, ad eosdem etiam pertinet ſacramentorum miniſterium. Hinc quoque

utrum-

utrumque apostolis committitur Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. *euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Accedit & illud, quod ministri ecclesiæ sint *dispensatores mysteriorum divinorum*, ad quæ cum primis pertinent sacramenta ab illis dispensanda, 1. Cor. 4, 1. Cum vero dari possint loca & tempora, in quibus ordinarius ecclesiæ minister adesse nequit, ita ut infanti adultove absque baptismo vel moriendum, vel a laico illi baptismus conferendus sit, si substantialia modo ad manus fuerint, certe hoc potius eligendum erit quam illud. Etsi enim, quemadmodum supra jam fuit observatum, Deus baptismo non ita sit alligatus, quo minus etiam citra illum in extremo necessitatis casu nos regenerare possit; nihilominus nobis incumbit necessitas mandato divino de administrando baptismo obsequendi & illius substantialia, ubicunque habere possunt, secundum Dei verbum rite applicandi. Urgent profecto & nos verba Christi : *Amen amen dico vobis, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum Dei:* quæ paucis interjectis iterata vice, additis quibusdam explicationis gratia, inculcare voluit : *Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei Joh.* 3, 4. *seq.* Solent nonnulli & illud urgere, quod ipsi apostoli, quos tamen Christus ad docendum & baptizandum in totum orbem miserat, non solum per se ipsos, sed etiam per alios baptizasse legantur. Sic Act. 10, 47. *respondit Petrus, num quisquam aquam prohibere potest, quo minus baptizentur isti, qui spi-*

 ritum

ritum acceperunt ſicut & nos? Et præcepit eos baptizari in nomine Domini. Verum enim vero cum poſteriora verba indefinita ſint, vel eo modo intelligi debent, quod Petrus novos fideles ad baptismum ſuſcipiendum hortatus fuerit; vel ſi maxime Petrus per alios baptismum illis contuliſſet, fieri id potuit per evangeliſtas, presbyteros vel diaconos, quos apoſtoli ſæpe habuere comites. Id potius monebimus, Aquilam & Priſcillam Act. XVIII, 26. in docendo verbo privatam operam locaſſe, quæ adeo non fuit improbata, ut Apoſtolus illum & illam inter συνεργοὺς & coadjutores ſuos referre non erubuerit Rom. 16, 4. Cur ergo non abſente miniſtro ordinario baptismum adminiſtrare poſſent laici? *imo majori jure & facilius mulieres* (laici) *baptizare poterunt quam docere, cum illud non requirat tot ingenii doctrinæque dotes, quam hoc; illud etiam non ſit ita proprium apoſtolorum munus, quam hoc, docente id apoſtolo* 1. *Cor. I,* 17. *ubi dicit, non miſit me Dominus baptizare ſed prædicare.* (a)

Nec alia mens fuit primitivæ eccleſiæ doctoribus, quos inter primo loco nomino Tertullianum, rigidum alias chriſtianæ diſciplinæ obſervatorem, qui diſtincte docet, quid ordinarie competierit miniſtris eccleſiæ, & quid extra ordinem licuerit quibuscunque aliis fidelibus. (b) *Supereſt*, inquit, *ad*

(a) Sunt verba diſput. inaugural. ſub B. Calixto de baptismo habitæ §. 49.

(b) Libr. de baptismo cap. 17. p. m. 280.

ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi & accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est episcopus. De hinc presbyteri & diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiæ bonorem. Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex equo dari potest, nisi episcopi jam aut presbyteri, aut diaconi vocantur, dicentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo : Proinde & baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest : sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit, quum ea majoribus competat, ne sibi adsumant dicatum episcopi officium episcopatus. Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicubi, aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, quum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si superſederit præstare, quod libere potuit. Integrum Tertulliani locum exhibere voluimus, quia alias mutilate, nunc pro hac nunc pro illa citari solet sententia, nullum amplius nobis relinquens dubium, de facultate baptizandi laicis etiam concessa in necessitatibus. Jungamus illi Hieronymum sequentem in modum (a) ea de re scribentem : *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis digni-*

 tate

(a) Adverſ. Luciferianos cap. 4. Tom. 3. p. m. 63. D.

tate pendet : cui si non exsors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſiis efficientur ſchismata quot ſacerdotes. Inde venit, ut ſine chrismate & epiſcopi jusſione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. Quod frequenter (ſi tamen necesſitas cogit) ſcimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita & dare poteſt, niſi forte eunuchus a Philippo diacono baptizatus ſine Spiritu Sancto fuiſſe credendus eſt. Nec alienus ab hac ſententia eſt Hipponenſis præſul Auguſtinus, dicens : (a) *& ſi laicus aliqua pereuntis dederit* (baptismum) *necesſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an pie quisquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt : ſi autem necesſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt.* Dubitanter hoc in loco Auguſtinum loqui putat Andreas Rivetus. (b) Sed, cum adverſario dum in arenam deſcendit, dubitatio illa per abſolutam negationem explicari debet. Quæ vero poſtea disjunctive ſubjicit, ita explicanda erunt, ut ipſe factum tale ex propria hypotheſi pro nullo delicto habeat, ex aliorum autem & maxime adverſarii veniale duntaxat eſſe. Citatur etiam Auguſtinus ad Fortunatum c. in neceſſitate diſtinct. 4. de conſecrat. *In necesſitate cum epiſcopi aut presbyteri, aut quilibet miniſtrorum non inveniantur & urget*

(a) Contra epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 13. Tom. 7. p. m. 9. L. M.

(b) In catholic. orthodox. Tom. 2. p. 32.

urget periculum ejus, qui petit, ne ſine iſto ſacramento hanc vitam finiat, etiam laicos ſolere dare ſacramentum, quod acceperunt, ſolemus audire. Et ibidem c. Sanctum. *Sanctum eſt baptisma per ſe ipſum, quod datum eſt in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ita ut in eodem ſacramento, etiam auctoritas traditionis per dominum noſtrum ad apoſtolos, per illos autem ad epiſcopos & alios ſacerdotes, vel etiam laicos chriſtianos ab eadem origine & ſtirpe venientes.* Dein ſubjicitur caſus aliquis, ſive verus ſive fictus: *Nam cum illa hiſtoria narratur, omnes, qui audiunt, prope ad lacrymas movet. Dum in navi quadam fidelis nullus eſſet, præter unum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor ſalutis ſuæ, & ſacramenti vehementisſimus flagitator: nec erat aliquis, qui dare poſſet, niſi pœnitens ille. Acceperat enim, ſed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiſerat ſanctitatem, non amiſerat ſacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur poſt pœnitentiam, quare iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat: & ne periculoſe vitam finiret, non reconciliatus, petiit ab eo ipſo, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, & factum eſt, naufragium evaſerunt. Cognitum habes, quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet ut conſiliis eorum illo periculo damnum crederet affuiſſe. Motus enim animus religioſus & ſupplex ab homine exegit ſacramentum, a Deo ipſe impetravit ſanctitatem. Quod ſi forte hoc, quod narravi de his, qui naufragio imminente periclitabantur,*

bantur, non vult aliquis credere (non enim hoc scripturarum divinarum auctoritas, sed incerto autore fama commendat) non repugnabo: sed interrogabo, si tale aliquid contingat, quid futurum est? Non enim potest quisquam dicere relinquendum, qui morte imminente baptizari desiderat. Quem baptizatum a pœnitente quisquis non credit contigisse, oportet, ut credat posse contingere.

Scimus quidem communiter objici, eorundem esse baptizare, quorum est docere. Sed taceamus nunc exempla Christi, docentis quidem non autem baptizantis nisi per discipulos Joh. 4, 2. & Pauli scribentis, se ad baptizandum a Christo non esse missum, 1. Cor. 1, 17. ex quibus manifestum esse putamus, tam arctum inter docendi & baptizandi minus nexum non esse, qui mutari nullo modo possit. Dein, quemadmodum docendi & baptizandi partes ordinarie ad ministerium spectare concedimus, sic si extremo necessitatis articulo docendi munus homini laico, absente ministro ordinario, non denegatur, non videmus qua ratione, iisdem positis circumstantiis, facultas administrandi baptismum eidem negare debeamus. Neque illud moramur, quod Marcion mulierculis baptizandi potestatem fecerit, (a) cum is ordinarium illarum munus esse voluerit baptismum conferre, a quo in totum nos abhorremus. Nec porro nos movent canones conciliorum

(a) Epiphan. hær. XLII. p. m. 305. B.

ciliorum mulieribus hoc officium denegantes, quale quid etiam facit canon C. concilii Carthaginensis IV. *mulier baptizare non præsumat*; cum & hic intelligi debeat de eo, quod ordinarie, præsentibus ecclesiæ ministris, extra necessitatis casum, fieri non debet, suadente hanc explicationem canone præcedente XCIX. *Mulier quamvis docta & pia viros in conventu docere non præsumat.* Ita ut Rivetus non opus habuerit priorem interpretationem *inventum Gratiani* appellare. Eodem modo alia patrum loca intelligi debent, quemadmodum & Tertullianus (a) rem omnem ad ecclesiam restringit: *Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre &c.* Conf. Præsidis dissert. de muliere in ecclesia.

Non ergo video quid Rivetus velit loco citato, p. 33. verba Basilii (b) urgens: *Qui autem abrupti sunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem*; & ex his exsculpens, juxta Basilii opinionem laicos non potuisse conferre baptismum, & ab his collatum esse iterandum. Verum postquam Basilius, præmissa distinctione inter hæreses, schismata & illegitimos conventus, ostenderat, quosdam in illis constitutos vel rejiciendos esse vel baptizandos, tandem sententiam Cypriani & Firmiliani

(a) De veland. virgin. cap. 9. p. m. 223.
(b) Ad Amphiloch. epist. canon. can. prim. p. m. 21. C.

miliani refert, Catharos, Encratitas & alios uni calculo esse subjiciendos : *quoniam separationis principium per schisma : qui autem se ab ecclesia abjunxerunt non habent amplius in se gratiam spiritus. Defecit enim traditio, quod discissa sit consequentia : qui enim primi recesserunt, ordinationem a patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritalem gratiam. Qui autem abrupti sunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus S. gratiam aliis quoque præbere, a qua ipsi exciderunt. Quare eos qui ab ipsis baptizati erant, tanquam a laicis baptizatos, jusserunt ad ecclesiam venientes vero ecclesiæ baptismo expurgari. Sed quoniam nonnulli Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* Hæc Basilius ex aliorum sententia & consuetudine recenter ita, ut judicet Cyprianum probasse anabaptismum eorum, qui ab hæreticis fuerunt tincti ; & ab ecclesia abruptos, laicos fuisse factos nec amplius habere baptizandi & ordinandi potestatem in ecclesia. Sed nec prior Cypriani sententia placuit Stephano & aliis ecclesiis ; nec posterior stare poterit, eos, qui ab ecclesia abrupti sunt quovis modo, statim fieri laicos. Posito autem abruptos fieri laicos, tunc id duntaxat sequitur, in ecclesia ordinarie id munus eos subire amplius non posse, esse potius coercendos, si tale quid susceperint. Si vero quis excipiat, ipsum Basilium in sequentibus idem statuere, dum de Encratitis scribit, *oportet nos eorum baptisma abrogare, & si*

quis

quis ab eis acceperit, eum ad ecclesiam accedentem baptizare. Statim vero addit: *Quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est & sequi oportet patres, qui, quæ ad nos pertinent, providerunt.* Dein supponit Encratitas, *ut se reddant non suscipiendos ab ecclesia, proprio baptismate præoccupasse.* Si ergo proprium illi habuerunt babtismum, in substantialibus diversum, recte in antecedentibus eos non baptizatos esse dixit, *qui non in nobis tradita baptizati sunt.* Si vero illi, ut idem pergit, *nostrum baptismum servant, hoc ne nobis ægre sit: neque enim illis gratiam reddere tenemur, sed canonum exactæ observationi servire.* Id tamen exigit, *ut qui ex illorum baptismo accedunt, ungantur scilicet in fidelibus, & sic ad mysteria accedant.* Ex his pro stabilienda sua sententia Rivetus nihil deducet, cum Basilius nec quorumvis anabaptismum ipse admittat, nec laicis omnem adimat baptizandi facultatem, sive ordinariam sive extraordinariam.

Sed relicto Basilio progreditur Rivetus ad præsentem nostrum casum, & in eo certissima antiquitatis vestigia se reperisse putat, cum expressis addatur verbis, cur præter alia baptismus in itinere administrari non potuerit, nimirum: *sacerdote opus erat.* Baronium non scivisse eludere hoc testimonium, nisi quod dixerit: comites itineris id protulisse, non ex ecclesiasticæ legis præscripto, sed rudi quadam simplicitate & ecclesiasticarum rerum igno-

ratione. Verum Baronio nihil repofuit ille, nifi quod *rudis hæc fimplicitas præftet verfutia nimis fubtili*, cum hoc modo rationibus illis non fatisfiat. Ignorantiam enim & fimplicitatem hominum fuiffe nemo negabit, qui vel ipfum baptismum per arenam ab illis adminiftratum faltim cogitaverit. Addi poteft & illud, quod verba ifta funt Nicephori, explicantis rationem viatorum, baptismum, ob defectum perfonæ ordinariæ adminiftrantis, petenti denegantium. Ex propria autem mente & fui temporis confuetudine Nicephorum hæc fcripfiffe, credibile vix eft, cum græci, morum antiquorum obfervantiffimi, noftris adhuc temporibus concedant laicis baptismum, fi extremus neceffitatis articulus eum exegerit. Sic enim Metrophanes Critopulus: *necesfitate autem urgente ftatim poft nativitatem baptizatur quod genitum eft, & fi presbyter non adfit, obftetrix id facit, verba illa divina fupra citata pronuncians, & fi infans convaluerit, baptismus hic ei fufficit.*

Ex his ergo utrumque agitatis patet, quod Judæi in itinere comites laboraverint ignorantia ejus, quod ordinarie a nobis fieri debet, & quod extra ordinem neceffitate urgente facere nobis licet. In conventu five ecclefia & aliis in locis, ubi haberi poteft minifter ordinarius, per eum, & non per laicum, baptismus adminiftrandus eft. Erant autem tum illi in folis aridisque locis conftituti, nec in comitatu habentes facerdotem, neque aliquem ex vicinia

vicinia evocare tam cito valentes. Hoc igitur rerum ſtatu, Judæo in vitæ periculo verſanti, potuiſſet quivis baptismum conferre, ſi modo illi ſubſtantialia adfuiſſent.

Tertium momentum, quod ex præſenti caſu diſquirendum nobis venit, erit illud: *an alia præter aquam naturalem & veram licite adhibeatur materia e. g. arena, illa deficiente?* Certe ipſum verbum baptizare, dum in mandato Chriſti ſimpliciter atque ſine addito ponitur, immerſionem in aquam vel aſperſionem aquæ denotat. Accedit, quod baptismus expreſſe Eph. 5, 26. *lavacrum aquæ* dicatur. Et Chriſtus ipſe Joh. 3, 5. ait: *Niſi quis fuerit genitus ex aqua & ſpiritu;* ubi, ut a nativa vocis ſignificatione recedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Apoſtoli eorumque ſocii non alio elemento ſunt uſi, ſicut de Philippo diacono Act. 8, 35. conſtat. *Cum pergerent in viam, venerunt ad quandam aquam, tum ait ei Eunuchus: En aquam, quid prohibet me baptizari? dixit vero Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. jusſitque ſiſti currum, ac deſcenderunt ambo in iſtam aquam Philippus ſimul & Eunuchus, & ille baptizavit eum.* Eadem denique fuit praxis totius eccleſiæ ab incunabulis usque ad noſtra tempora. Quando autem veram & naturalem deſideramus aquam, nobis perinde erit fluvialis illa ſit an fontana, calidia an frigida. Eleganter Tertullianus: (a) *Nemo dicat, nunquid*

(a) De baptismo cap. 4. p. m. 277.

ipsis enim aquis tinguimur, quae nunc in primordio fuerunt? non utique ipsis nisi ex ea parte qua genus quidem unum, species vero complures. Quod autem generi adtributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quicquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit. Nisi & ille Spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit.

Cur vero Deo placuerit in baptismo aquam adhibere, non alia nobis suppetit ratio, quam institutoris voluntas sanctissima, quæ legis & rationis instar esse debet. Qui præter hanc alias quærunt, respicere solent ad vaticinia & typos V. T. ad facilem & promtam materiæ hujus parandæ copiam, & ad varias aquæ naturalis proprietates. Ad harum unam Tertullianus (a) digitum intendit: *Quanquam ad simplicem actum competat similitudo, ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur.* Ubi obiter cum patribus, Justino M. & Tertulliano, notamus, dæmones Deum in hoc quoque fuisse æmulatos & inter gentiles effecisse, ut sacris aqua adhiberetur. Sic enim ille, postquam de lavacro, quod tunc illuminatio dicebatur, egisset, sequentem in modum scribit:

(a) De baptismo cap. 4. p. m. 277. G.

bit: (a) *Lavationem hanc cum audiſſent dæmones per prophetam promulgatam, ut & ingreſſum in delubra eorum, & acceſſum ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, ſe ipſos aquæ aſperſione luſtrarent, effecerunt. Quia ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priusquam ad templa, ubi illi collocati ſunt, veniant, inſtinctu & opera ſua curant.* Tertullianus (b) vero: *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatem eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibusdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus, aut Mithræ, ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt. Ceterum, villas, domos, templa, totasque urbes aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim, certe ludis Apollinaribus & Peleſiis tinguntur. Idque ſe in regenerationem & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt. Item penes veteres quisquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.*

Nunquam vero defuerunt, qui judicio ſuo indulgentes, divinam neglexerunt inſtitutionem. Illos inter fuiſſe. Marci ſectatores quosdam (c) (non enim eadem ſtatuebant & faciebant errones illi) qui

(a) Apol. 2. pro Chriſtian. p. m. 94. ſeq.
(b) De baptismo cap. 5. p. m. 277. H.
(c) Apud Iren. adv. hær. lib. 1. cap. 18. p. m. 109.

qui adducere quidem ad aquam supervacuum esse dixerunt, admiscentes autem oleum & aquam in unum, cum profanis dictionibus, similibus quae supra prædiximus, mittant super eorum caput, qui sacrantur: & hoc esse redemtionem volunt: ungunt autem & ipsi opobalsamo. Huc quoque spectare Manichæos scimus ex Augustino, (a) *qui baptismum in aqua nihil cuiquam perhibebant salutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putabant*, quod crederent aquæ creatorem esse malum dæmonem. Seleuciani & Hermiani quoque *baptismum in aqua non accipiebant.* (b) Causam non exprimit Augustinus. Ea vero est, quod Joannes Baptista, suum & Christi baptisma comparans, diversam faciat materiam amborum; sui quidem aquam, sed Christi, ignem; quemadmodum patet ex Philastrio, qui de hæreticis illis ita scribit: *Seleucus & Hermius, hæretici, animas hominum de igne & spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista: Ipse vos baptizabit in spiritu & igne.* Doctorum scholasticorum quorundam mens in hoc negotio quæ fuerit, exprimit Guido de monte Rocherii in manuali: (c) *In lixivio*, inquit, *si aqua non posset inveniri, posset fieri*

(a) De hæres. cap. 46. p. m. 225.
(b) Augustin. l. c. cap. 59. p. m. 299.
(c) Cap. 2. de baptismi materia.

fieri Baptismus: cum lixivium nihil aliud sit quam aqua collata per cineres: Et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in urina propter defectum aquæ posset baptizari: quod non credo verum: quia urina non est aqua: sed humor resolutus a cibis comestis. Et idem dico de saliva. Sed nonne in brodio carnium posset fieri baptismus, ubi alia aqua non posset inveniri? dicendum est, quod aut tanta resolutio carnium est facta in brodio illo, quod desinit species aquæ esse, & est alia species de novo generata, & tum non potest fieri baptismus: aut non est ibi tanta resolutio carnium facta, & tunc fieri potest, & in tali brodio baptisari. Et idem dico de luto; scilicet si aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expressa posset fieri baptismus. Bezæ communiter objicitur, quod in epistola secunda ad Thomam Tilium scripserit: *Desit aqua & tamen baptismus alicujus differri cum ædificatione non posit, ego certe quovis alio liquore non minus rite, quam aqua baptizarim.* Rivetus contra Bailium loc. cit. agnoscit esse saltem privatam Bezæ opinionem, neque eam esse intelligendam de liquore, qui" ad maculas corporis eluendas aptus sit, non quo" macularetur aspersus, quod de atramento & simi-" libus intelligi nequit. Non repugno tamen, ad" dit, ut hæc problematica habeantur. Sub finem" hujus tractationis scribit: Verum nos, Deo laus," ejusmodi extraordinariis casibus non sumus obno-" xii: quorsum ergo de talibus digladiaremur?" Quantum autem omnes illi recedant a Christi institu-

ſtitutione & veris ipſius baptismi ſubſtantialibus, facile judicari poteſt, ſi modo perpendantur ea, quæ de baptismi materia ſunt dicta.

Non ergo, ut ad quæſtionis noſtris momentum regrediamur, arena poteſt eſſe materia baptismi, cum de ea neque inſtitutionis neque promisſionis verbum habeamus. Deeſt quoque praxis apoſtolorum & totius primitivæ eccleſiæ,[1] ita ut dubium ſit, an unquam aliud ſimile acciderit factum. Sublata autem parte eſſentiali, non poteſt ſalva manere totius eſſentia, baptismi ſcilicet. Nullus ergo fuit baptismus per arenam[1] in deſerto per comites Judæo adhibitus. Agnoſcit id Rivetus loco eodem, & addit: ſed ſi verum eſt: rectius in defectu aquæ baptizaretur quis alio liquore, quam arena. Verum quidem eſt, arenam plane recedere a natura aquæ, cum ex numero liquidorum eſſe nequeat, & hac ratione alius liquor propius ad naturam aquæ accederet; ſed id primo contra aliorum doctorum[1] reformatorum ſententiam eſt, ceu ex multis unus Bucanus ea de re nobis teſtis eſſe poteſt. *Materia externa baptismi eſt*, inquit, *aqua vera, pura, munda & naturalis, & ſine diſcrimine ſimplex, vulgaris & obvia, non mixta, non medicata, non facta, non ſtillatitia, nec alius liquor ſimplex & vulgaris, non oleum, non ſanguis, non ignis, non ſabulum, aut aliud quodvis elementum.* Dein dum ipſe Rivetus alio

in

in loco (a) contra abſolutam baptismi neceſſitatem pugnat, non videmus, cur in defectu aquæ, tanquam partis ſubſtantialis, alio debeamus baptizare liquore, cum non damnet quenquam ſacramenti privatio, ſed contemtus, juxta ea, quæ ſupra monuimus. Nec eſt, quod quis in illius gratiam excipiat, præferendum tamen eſſe baptismum per quemcunque alium liquorem, quam per arenam, niſi ſimul velit concedere ex duobus malis turpibus eligendum eſſe minus. Utrumque enim eſt contra Dei voluntatem: utrumque, ſi committitur turpe eſt, ita ut neutrum ex illis præferri queat.

Quartum denique momentum, quod nobis diſpiciendum ſumſimus, erit illud: *an, ſi ſpurio illi baptismati, per arenam & ſolennem formulam peracto, ſuperaddatur ſaltem immerſio in aquam vel aquæ aſperſio, legitimus ſtatim fiat baptismus, & Judæus dein rite baptizatus dici posſit?* Profecto quemadmodum verus baptismus nunquam ſalutaris poterit ille, in quo loco aquæ aliud quoddam externum elementum adhibetur; ita multo minus babaptiſmum dixeris illum, ſi verba inſtitutionis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. plane omittantur. Materia enim ſive materiale baptismi, quod huic ſacramento & aliis actionibus, quæ non ſunt ſacramenta, commune eſt, aut eſſe poteſt, nondum

E facit,

(a) l. c. tractat. 3. quæſt. 3. p. 21.

facit, ut aliquid sit hoc sacramentum; sed præterea requiritur ut forma sive formale, a quo ad actionem, circa elementum illud occupatam, accedente, aut ei unito, actio formaliter habet, quod est sacramentum sive sacramentalis actio. Absente autem forma, quæ dat esse ultimum, determinatum & specificum, res non est id, quod esse debeat. Non ergo verus baptismus est, si vel trina immersio in aquam vel aspersio aquæ fiat sine addito institutionis verbo. *Nam Salvator non quovis modo baptizandum præcepit*, inquit Ambrosius, (a) *sed primum dixit, docete, ac demum, baptizate in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur.* Et Basilius: (b) *Oportet nos baptizari sicut accepimus, credere autem ut baptizemur, & glorificare denique sicut credidimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* Hinc quoque Bonifacio Episcopo Zacharias Papa ait: (c) *Firmissime præceptum est in Synodo Anglorum, ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet, quod omnino verum est: quod si mersus in fontem baptismi quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus*

(a) Contra Arianos lib. 3.
(b) Epist. LXXVIII.
(c) De consecrat. dist. 4. can. in synodo.

ctus Christianus non est, nisi in nomine Patris & Filii & Spiritus S. fuerit baptizatus.

Dubium quidem alicui esse posset, an in nostro casu præsentis quæstionis tractatio locum habeat, cum Cedrenus referat, Dionysium Papam Alexandrinum, denuo aqua baptizari hominem jussisse. Quæ verba hunc videntur habere sensum, quod Episcopus judicaverit, hominem illum denuo baptizandum esse, baptismo sc. aquæ, in suis substantialibus integro. Id quod ex eo etiam apparet, dum Cedrenus scribit, Judæum neque Mosis, neque Johannis, neque Christi, neque Martyrii, nec denique Lacrymarum baptismum recepisse, rebaptizandum ergo fuisse aqua secundum mandatum Christi. Nicephorus certe rem tam distincte & perspicue non proponit, ut omnis scriptori eximatur scrupulus, quando legitur, Ecclesiæ Alexandriæ visum fuisse, aqua insuper ad eum initiatum, juxta ecclesiæ traditionem abluendum esse, ut ita, quod sacro ei deesset, sarciretur. Si enim juxta ecclesiæ traditionem abluendus erat Judæus, baptismus peragi debebat aqua quidem, sed verbis institutionis non omissis. Si vero illud duntaxat sarciendum fuerat, quod sacro ei deerat, verbo neglecto & insuper habito, aqua sola videtur ablutus. Et hanc fuisse Nicephori mentem putarunt Centuriatores Magdeburgenses, (a) historiam illam ex Callisto

(a) Cent. 2. cap. 6. p. m. 80.

ſto referentes : *Cum igitur* ſcribunt, *ad locum ſuum rediiſſent, Epiſcopus Alexandriæ, ab illis conſultus, de ſententia eccleſiæ reſpondit: Baptizatum eſſe Judæum, ſi modo aqua denuo perfunderetur.*

Sed quicquid de eo ſit, ſi vel maxime baptismus Alexandrinus in omnibus ſubſtantialibus ſe legitime habuerit, ponamus ſaltim talem caſum, quo priori baptismo, in materia aberranti, ſola aqua absque recitatione verborum inſtitutionis fuiſſet ſuperaddita, profecto aſſerere neceſſum habemus, Judæum illum verum baptismum nec prima vice nec altera ſuſcepiſſe. Defraudatus ergo fuiſſet Judæus baptismo, quem tam anxie expetierat, non tamen ſua, ſed aliorum ignorantia & culpa. Quapropter ſi ſucceſſu temporis Judæus dubitaſſet de baptismo ſuo, & ex dubitationum tenebris tandem emerſiſſet in lucem ſcientiæ, qua certo cognoviſſet ſe rite baptizatum non eſſe, omnino tertium eumque genuinum baptismum, ſubſtantialibus a Deo ordinatis conſtantem, exigere ab eccleſia potuiſſet. Si vero per totum vitæ decurſum Judæus nunquam dubitaſſet de baptismo ſuo, ſed potius cum eccleſiæ doctoribus crediſiſſet, omnia legitime in illo ſe habuiſſe, non tamen propterea deſiiſſet eccleſiæ eſſe membrum, aut aliis beneficiis, quibus reliqui in eccleſia fideles fruuntur, caruiſſet. Haberent enim tali in caſu locum illa, quæ Cyprianus in quæſtione de baptismo hæreticorum monet: (a) *Sed dicet aliquis*


(a) De baptismo contra Donatiſtas lib. 5. c. 2. p. m. 95. A.

aliquis : Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt ? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi, in ecclesia dormierunt, ab ecclesia suæ muneribus non separare. Non tamen, quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctantes obsequi, quam pertinaciter atque obstinate contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari. Sententia hæc Augustino adeo placuit, ut eam Donatistis integram opponere non dubitaverit, sequentia inter serens. (a) *Nos autem si ad ecclesiam sine baptismo admittimus, in eo numero sumus, quibus Cyprianus propter unitatis custodiam ignosci posse præsumsit. Si autem sive ut jam, ut arbitror, ex his quæ in superioribus libris diximus, manifestum est, quod etiam in hæreticorum perversitate potest esse christiani baptismi integritas, si qui temporibus illi rebaptizaverunt, nec tamen ab unitatis compagine recesserunt, eadem dilectione pacis potuerunt ad veniam pertinere, qua Cyprianus etiam sine baptismo admissos ab ecclesiæ muneribus non separari potuisse testatur.* His addantur quæ alibi habet idem, & supra citata evolvamus, de latrone : *Sicut in illo latrone, quod ex baptismi sacramento defuerat,*

(a) loc. cit. lib. 4. cap. 24. p. m. 92. B.

fuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemtu, ſed necesſitate deſuerat. Liceat nunc nobis iſta ad noſtrum transferre caſum, quem ita accidiſſe formavimus. Scilicet ſi Judæus ille aut alii, in eccleſiæ orthodoxæ compagine manentes, non verum acceperint baptismi ſacramentum, eo tamen quod illud accepiſſe cenſeantur, & adulti etiam ſeipſos exiſtiment illud accepiſſe per miniſterium ordinarium ſive extraordinarium, nulla ſuperbia aut contemtu ſacramenti eo carent, ſed miſeranda quadam ignorantia, quam error publicus fovet, & pacis eccleſiaſticæ neceſſitate, & præſumti reverentia ſacramenti, quod ſciunt non eſſe violandum ſive iterandum. Ideo non eſt dubitandum, quin in eis, quod ex baptismi ſacramento deeſt, compleat omnipotentis benignitas. Non tamen, quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt.

Hæc ſunt illa, quæ circa præſentem caſum diſquirenda nobis ſumſimus. Poſſent quidem adhuc alia ex Cedreno non minus ac ex Nicephoro vel illuſtrari, vel ventilari, niſi nobis propoſitum fuiſſet, brevitati, quoad licuerat, litare.



F I N I S